

45. 26
DISPUTATIO JURIDICA 1707.
INAUGURALIS
DE 1701 19
EDICTO DIVI
MARCI,

Qvam
EX DECRETO
Incluti Ordinis Juridici Vitembergensis
PRÆSIDE
DN. GODOREDO SVEVO,
J. U. D. P. P. Curia Provincialis, Scabinatus, nec non
Juridicæ Facultatis Assessor & h. t. DECANO
Pro summis in Utroque jure honoribus
ac Privilegiis Doctoralibus consequendis

In Auditorio majori

Horis ante & pomeridianis
Publicæ ac solenni Disquisitioni
subjicit

JOBUS TIELMANNUS,

Consistorii Eccles. Vitemb. Protonotarius.

Ad diem XX. Octobr. Ao. M D CCI.

VITEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI GERDESII.

107

DEDICATIO JURIS
 HANNUCENSIS
 VI
 EDICTO DIVI
 MARCI
 EX DECRETIS
 IN QUINTO SINGULI
 DE GOTTFRIDO
 IN DEO
 PRO ANIMA
 TOBIA
 THE CHRISTIAN





DE
EDICTO D. MARCI.

L. 13. ff. q. met. caus.



Existat decretum Divi Marci in hæc verba: Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris, cum Marcianus diceret, vim nul- lam feci: Cæsar dixit, tu vim putas esse, si homines vulnerentur, vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris vel pecuniam debitam non ab ipso sibi sponte datam, sine ullo ju- dice temere possidere vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit.

A 2

§. I.

§. I.

Nulla equidem naturalis turpitude inest facto, quo quis rem suam ipse vindicat & invito quoque eripit, adeo ut Grotius ne interpellandum quidem possessorem esse & sine denunciatione statim vindicari rem ab altero posse existimet *L. 3. c. 3. §. 6. de jur. B. & P.* Sed uti ipse paulo post interpellationem hanc honeste & laudabiliter interponi, adeoque id fieri opposito melius esse fatetur, cum omnia experiri prius, quam armis, deceat; ita illud saltem nostrum facimus & tanti viri iudicio comprobamus, in se turpe non esse, manum rei nostræ injicere. *Conf. idem L. 1. c. 3. §. 1.* ubi iudicia non a natura sed facto humano esse asserit. Ut hinc non protinus delinquat, qui propria auctoritate cogit debitorem ad solutionem, dummodo nihil, nisi quod iuste vereque debeat, ab eo extorqueat, non magis quam si aut furi aut fugienti extorsisset *L. 10. §. 16. ff. Qua in fraudem creditorum L. 48. pr. ff. de furt.*

§. II.

Vestigia hujus rei indubitata deprehendere hinc inde licet. In legibus duodecim tabularum *de re judic. tit. 8.* hæc leguntur verba: *Æris confessi rebusque judicatis 30. Dies justis furo, post deinde manus injectio.* Hoc est prehendi posse jure privato, ut Oldendorpius explicat *Comment. ad L. 12. Tab. & Quintilianus lib. 7.* *Manum injicere propria olim ille dicebatur, qui, nulla expectata iudicis auctoritate, rem suam aut sibi debitam vindicare posset impune.* Porro in legibus civilibus manus injectionem

nem pacto sæpe exceptam esse legimus *L. 10. §. 1. ff. in fin. de in jus vocand. ibi: Si venditor, qui manus injectionem excepit, ipse profituat. L. 1. C. si Servus exportandus veneat L. 2. eod. si ut manus injectionem habeas, cavisti, Conf. Barnabas Briffonius de formulis & solennibus populi Rom. L. 6. p. m. 495.*

§. III.

At, cum medium tenere difficile sit, in hac quoque facultatis naturalis parte nimium quantum à recto deaberratum sæpe fuisse constat; Eo enim res plerumque redierat, ut quisque sibi, ex affectu improbo jus diceret, & eo justior, quo validior, haberetur, ac in virtutem abierit Germanis, Genti pugnacissimæ, ferro dirimere lites, quasque per jocum gratias agant *Quintilio Varo apud Vell. Paterc. L. 2. c. 118. quod lites ipsorum Romana justitia finiret, feritasque sua, novitate incognita disciplina mitesceret, & solita armis discerni jure terminarentur.*

§. IV.

Laudabili itaque exemplo reprimendam jus sibi dicentium putavit nimiam licentiam Prætor, eandem quippe restringens ad arbitrium judicis, nec ad arma & rixas procedere patitur, quos potest jurisdictione sua componere *L. 13. §. 3. ff. de usufruct.*

§. V.

Inhæsit adeo malum hoc, ut de aliis gentibus nil afferam, ceu a Majoribus acceptum translatumque Germanica

manicæ nationi, ut "optime" de salute Reipublicæ mereantur i li, qui revocare in usum leges iterum fatagunt. Quarum ex numero est Edictum Divi Marci, qvòd præfenti Disputationi non incommodam præbere materiam visum est.

§. VI.

Sunt equidem non pauci nec contemnendæ auctoritatis in jurisprudentia viri, qui nullum plane hujus legis usum superesse & abrogatam eandem per totum christianum orbem asserunt, *Farinacius pract. crim. qvæst. 75. n. 144. Covarruvias l. 3. var. resôl. 19. n. 7. Gutierrez l. 1. qvæst. 77. n. 4. Petrus de Greve exercit. ad ff. 5. th. 20. Philip. Bugnyon. de legibus abrogatis l. 1. Satyr. 97. Contra vero assurgunt Menius part. 1. decis. 95. Brunnemann ad d. L. 13. n. 5. & L. 7. C. undi vi. Strykius usu moderno ff. h. t. §. 7. 8. 9. Menochius remed. recuperand. 9. n. 8. Treutlerus Vol. 2. Diss. 26. th. 6. lit. c. qui omnes de usu legis 13. asseveranter testantur, nec morantur Carpzovium part. 4. c. 35. d. 11. qui abrogatam esse legem contendit, sibi tamen ipsi non satis hic constat, dum alio loco de universali desuetudine dubitat decis. 269. n. 24. Præterea Schilterus amissionem crediti hoc casu juri Germanico antiqvo consonam esse probat, exerc. 11. §. 13. cui accedit Edictum Theodorici Regis apud Casiodorum lib. 4. ibi: *quis quis, qvòd reptere debuisset, pignorandi studio fortassis indiserit, voce juris amittat, nec liceat cuiqve jus sponte auferre.* Suffragatur Jus Canonicum *Can. 2. placuit c. 16. q. 6. ut causas suas Episcopis iudicantibus agant, si alio retinente irruerint, causa suæ detrimentum patiantur.* Nec non jus feudale *L. 2. Feud. c. 27. §. 2.*
Qvòd*

Quod si de rapina presente iudice convictus fuerit, rapinam dupliciter solvat, & beneficio careat, & 2. feud. 53. verbis generalibus: ut damnum passo secundum leges resarciant, v. Rosenthal de Feud. l. 2. c. 11. concl. 16. Schraderus de Feud. part. 9. c. 9. Qvin expressa Imperii sanctio est in ord. Cam. Wormaciensi de anno 1521. tit. 32. wie es mit Irrung der Possession &c. §. und ob sich 2. ubi edictum Divi Marci plenissime approbatur, ut mirum videatur Dn. Strykio in usu moderno cit. l. hanc publicam Imperii sanctionem à Dd. non observatam fuisse. Non piger verba ipsa referre, Und ob sich ie zu Zeiten begebe/ daß etner hobes und niedrigen Standes den andern entsetzt/ und das mit Recht überwunden wäre/ in Sachen die den Friedbruch mit belangen/ sol der Entsetzer dadurch directum dominium das Eigenthum oder Hauptgerechtigkeit der Güter oder Gerechtigkeit/ um die der Streit gewesen/ verlohren haben. So aber dieselbe Güter oder Gerechtigkeit gedachten Entsetzer mit ihren Eigenthum nicht zugehören/ sol er deren Werth dem Entsetzer nach Ordnung gemeiner Rechte zugeben schuldig seyn.

§. VII.

Quorum Doctorum sententia, ut potioribus nixa fundamentis, ita tanto æqvior est, & facit ad componendas lites, quæ maximæ aliàs orituræ essent, dum mutuis femet vulneribus confecturi essent homines. Graviter ergo Grotius: multo honestius est & ad quietem hominum conducibilis, ab eo, cujus nihil interest, rem cognosci, quam homines singulos nimium saepe amantes sui, quod Jus putant, id manu exequi. de jure b. & p. l. 1. c. 3. §. 1. n. 2.

§. VIII.

§. VIII.

Seqvemur verba edicti & mentem Imperatoris penitius evolvemus. Sic autem incipit, *si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris.* Nimirum quemadmodum Imperatore teste §. 3. l. *quibus ex c. manum. non licet.* sæpe plus sperant esse in facultatibus suis homines, quam revera est; ita non raro imago juris aut debiti alicujus fallit incautos, ut tunc ad Jus & actionem potius recurrere debeant persequendi in judicio, quod sibi debeatur *pr. Inst. de Act.* Quamvis vero verecundam & honestam ejus esse cogitationem Jurisconsultus dicat, qui lites execratur, nec tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret *in L. 4. ff. de alienat. Jud. mut. caus.* tamen ejus cogitatio non est inhonesta, qui actione experitur potius, quam ad vim procedit. Hinc optimum D. Marcus consilium suggerit, ut inter hæc duo extrema mediam aut tutissimam viam eligamus, & actionibus experiamur *d. l. 13. junctâ L. 7. ff. ad L. Jul. de vi privata.*

§. IX.

Ælius Marcianus Juris consultus, quem Antonini Pii tempore vixisse ex *L. 2. ff. de his, qui sui vel alieni Juris sunt* & §. *ult. J. b. t.* colligitur, Consultatione super hoc argumento habita, extremum illud, vim sc. adhibitam non fuisse obverrit, adeoque juris amissioni in casu, super quo deliberabatur, non fore locum innuit. Imperator autem pro Autoritate sua decedit, cum actione experiendum fuerat, aliâ vero viâ is, de quo tunc quæstio esset,

esset, suum sibi reddi fecisset, eam quoque morali æstimatione vim videri, quoties quis, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit. Postquam itaque expressa lege definitum hoc Jus repetendi suum est, hoc certe ex eorum genere erit, quod in puncto consistit, ut si paululum inde abieris, in vitium deflectas; cum alia negotia liberius habeant spatium, ut quædam fieri laudabiliter & sine turpitudine omitti possint, ut sunt actus omnes communem modum & nullibi determinatum supergressi. v. g. liberalitatis, misericordiæ. &c. *vid. Grot. l. 2. c. 1. §. 5. de J. B. & P.*

§. X.

In fine legis adjicitur ab Imperatore pœna amittendæ fortis statuta illi, qui probatus fuerit, rem ullam debitoris vel pecuniam debitam non ab ipso debitore sibi sponte datam, sine judice temere possidere vel accepisse. Nec distingvit ille, an quis rem suam, an debitoris aliam, eo fini, ut loco suæ sit, accipiat, in verbis: *rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam cit. leg.* Utrobique enim adest violentus animus, qui negligendo judicem opem sibi met ipsi privato ausu circumspicit, & dignam animo suo, qui delicta distingvit, *L. 18. C. ad leg. Juliam de Adult.* pœnam meretur; ut nihil referat quoad edicti pœnam, si ve rem minimam si ve debito æquiparandam abstulerit, cum pari uterque odio habendus sit ob violentiam & neglectum Judicis, quæ duo formam delicti inprimis constituunt ejusque mensuram explent, *vid. L. 1. ff. de eo per quem factum erit, quo minus &c.*

§. XI.

Latius progressa est hominum audacia, nec rapiendi quod suum est contenta, in aliena quoque involavit, & elusit

B

elusit

eludit edicti verba, quæ pœnam amissionis causæ illis statuunt, quorum ea res fuit. Succurrendum ergo Imperatores sequentium temporum huic quoque malo bene censuerunt & proposita *Lege 7. C. unde vi* præter restitutionem rei alienæ ablatæ, æstimationem quoque rei vero Domino solvere reos hujus criminis jusserunt; quantum sc. æstimatione a parte læsa factâ & juramento confirmatâ, judex arbitratus fuerit esse reddendum, *Brunn. ad L. 7. C. unde vi n. 3. Conf. Donellus lib. 15. c. 31. ibique Hilliger. Lit. O.*

§. XII.

Non prætereunda est *L. 6. C. unde vi*, in qua duo, quæ huc faciunt, comprehenduntur. Alterum confirmandi decreti hujus causa, alterum augendi. Illud est, quod etiam si quis rescripto Principis aut Judicis sententiâ munitus sit, tamen jure suo cadat, si suum magis, quam judicis auxilium quærat. Secundum est, quod si tutores coludentes cum adversariis res pupillorum minorumve invadant & eripiant, suæque adeo commissos curæ nefarie prodant singulari improbitatis exemplo, exqvistius puniri eos fas sit, non delicti amissione, quod eorum nullum est, sed deportatione & publicatione bonorum. *Conf. Donellus Comment. ad d. L. Nec tutoris delictum præjudicare pupillo potest, cujus nulla hic veretur culpa vid. Brunnemann in Comment. ad L. 6. cit. in fin.*

§. XIII.

Sed his legibus salvis, integra quoque manet auctoritas edicto Divi (quæ appellatio a gentilibus cæpta postea vivis Imperatoribus Christianis fuit usitata) Marci, ut sola appellatione illius legem quoque 7. cit. C. interpretatione prudentum jam contineri dicamus. Est enim hoc sequentium
Impe-

Imperatorum Rescriptum augmentum sanctionis prioris & accessio, seu accommodatio ad propositum casum; quæ ratio me movit, cur de Edicto Marci solummodo titulum fecerim. Ut vero propius ad rem ipsam accedam, quivis puto facile intelliget, non accuratioribus exprimi verbis posse formam edicti, quam quibus eam ipse Imperator in textu Cardinali descripsit, dum ait: *Vis est tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit.* Quæ verba definitionis loco esse possunt, nec periculum sic statim metuendum, quod in omni definitione alioquin subesse *L. 202. de R. J.* legitur.

§. XIV.

Nullus ergo secundum ipsius Imperatoris mentem actus in edictum hoc impingens dabitur, nisi cujus delicti forma vis esse deprehendatur, sive vulgò, sive intellectu juris talis, quæ morali æstimatione cum ista eadem habetur; Quo ipso fraus quævis, & machinationes omnes ad eripiendum alteri, quod suum est, comparatæ huc pertineant necesse est, atque ante omnia attendendum erit, quid præcipiat hoc edictum propositaque juris regula, secundum quam actiones civium ita conformandæ, ut si recedant, malæ, si minus, bonæ nascantur, insignique hoc effectu gaudeant, ut jam agentibus imputentur in bonum vel malum, illudque proemio, hoc autem pœna dignum censeatur. Licet enim vero debitori injuriam non faciat creditor, suum ab eodem extorquens, quem omnimodo solvere oportuit, quique hac ratione fuit liberatus. *Conf. Faber in Sem. ad L. 13. ff. q. met. caus.* tamen facit Magistratui, cujus auctoritatem usurpat, *tot. tit. C. ne quis in sua causa judicet.* Neque singulis concedendum est, quod per Magistratum publice fieri possit *L. 176. ff. de R. J.* ut pessimum nunc fa-

cinus habeatur, quod peiori admittatur exemplo, judicare suam causam.

§. XV.

Multifarium autem sumitur in jure vis, velenim est compulsiva, unde actio quod metus causa oritur & L. 9. §. 3. ff. q. met. caus. vel turbativa, unde interdictum uti possidetis vel utrobi *t. t. ff. uti possid.* vel est inquietativa, unde interdictum quod vi aut clam nascitur, *tot. ff. q. vi aut clam*, vel est ablativa, pro qua competit actio bonorum raptorum *tot. tit. ff. de vi bon. rapt.* vel est expulsiua, quæ proprie in res immobiles cadit, & parit interdictum unde vi, vel est demum ex lege præfenti, quam tractamus, quando prosequor sine iudicis auctoritate, id quod meum est, *vid. Sibarthus ad tit. C. de his quæ vi metusque causa gesta sunt, n. 2.*

§. XVI.

Hæc itaque vis toties adhibita dicitur vel commissa, quoties sine voluntate domini vel possessoris res est occupata. *a. L. 5. ff. de acq. l. amit. poss.* Possessor hic intelligitur non nudus detentor *L. 12. pr. ff. de acq. vel amit. poss. l. 1. §. 22. ff. de vi & vi armata §. l. 7. cit. C. unde vi ibi: possessionem.* quod vocabulum stricte capiendum. *Conf. Hopp. C. ad I. §. 1. de vi bon. rapt.* Neque enim creditor, depositarius, commodatarius possidet, sed dominus per eos, & siquidem ante finitum tempus contra quam fas est *leg. 17. §. 3. ff. commod. expulerit commodo*, Edicti Reus non fit, cum detentionem quidem invadere dici possit, non possessionem, quam apud se jam tum existentem retinet magis *L. 8. §. 9. ff. commodati*. Secus est, si extraneus vim isti fecerit, dummodo eo casu dominus agat ad penam infligendam non commodatarius, cum in hunc, tanquam

non

non possidentem vis nulla hoc intuitu committatur, Menochius, *remed. Recup. g. n. 185. & 188.*

§. XVII.

Usufructuarius, si possessionem rei, in qua usufructum consecutus est, tertio possessori auferat, incidit in edicti poenam, idque multo magis, quo minus propriarius fortius jus habens excusatur. Sed cui cedit usufructus amissus? Resp. vim passio, cui lucrum Lex 7.C. unde vi addicit, at sola commoditas transfertur, proprietate apud dominum manente, cum eatenus usufructus Jus personale sit §. 3. *Infl. de Usufr.* neque donatione aut cessione in extraneum transferatur arg. *leg. 20. ff. ex quibus caus. majores. Sane de cess. Act. c. 5. §. 35.* neque ullo delicto alieno interverti proprietario potest.

§. XVIII.

Possessio sicuti animo retinetur §. 5. 1. *de Interd.* ita sine vi, cum nemo resisteret, apprehensa a non domino facit locum edicto, siquidem incio & si praesens esset, relicturo domino facta fuit haec occupatio *Meuius part. 4. Decis. 219.* cum illud omne vis dicatur, quod fit contra voluntatem & animum possidentis *L. 6. §. fin. de acq. vel amitt. poss.* nisi credat se vacantem occupare & habeat justam credulitatis suae causam arg. *L. 12. de vi & vi arm.* quae excusationem praebet, sed ope exceptionis demum opposita *Menochius d. remed. n. 305.* aut nisi ipse dominus concedat alicui possessionem naturalem, quemadmodum non ita pridem responsum est a Facultate, quae hic est, Juridica versus *Orluff.*

§. XIX.

Non piget casum ipsum referre. Frater a vidua defuncti fratris commodato acceperat equum, nec restitue-

rat statuto tempore, causatus porius, cum ab ipso repetetur equus, se esse heredem fratris, deberi sibi Heerge- wettam adeoque hunc, quem possideret, frustra se restituere urgeri equum, quem mox sit recepturus. At vidua cum exciperet solum de spolio, in hoc quidem iuvari non poterat, cum spolium non committatur absque possessione *L. 1. §. 9. ff. de vi & vi armat.* Equum autem ex commodato libere conceisserat vidua, unde nec Edictio locus erat, Cæteroquin intentionem furti fundatam habens, contra detentorem equi ultra tempus præstitutum *L. 5. §. 8. ff. commodat. §. 1. Inst. de Oblig. quæ ex delicto & c.*

§. XX.

Pupillum non ferit edicti pœna, si ille vi possessionem alterius invadat, cum revera ignoret quid agat *L. 10. ff. de Juris & facti Ignor.* Ut autem actio moralis nascatur, quæ agenti imputari possit, duo summa principia requiruntur, intellectus & voluntas. Nisi pubertati proximus sit & doli capax *§. penult. Inst. de obligat. quæ ex delict. nasc.* Prodigus vero non excusatur, quamvis absentibus & ignorantibus & furiosis in *L. 40. de R. J.* comparetur. Licet enim alienare non posse dicatur, tamen in delictis prodigus non habet excusationem *a. L. 12. in fin. De tutoribus & curatoribus dat. Carpz. pr. Cr. q. 118. n. 27.* Imprimis cum invadens id agat, ut acquirat, non, ut alienet *Donellus Com. ad L. 7. c. unde vi §. 13.*

§. XXI.

De fœmina dubitandum non est, quin incidat in pœnam hanc sibi iudex facta, quia verbum *L. 7. C. unde vi, si quis & quisquis dicit. L. 13.* omnes tam masculos quam fœminas comprehendit, *junct. L. 1. ff. de V. S.* Imo hoc turpissimum delin-

linquit foemina, quo magis oblita sui sexus debilitatis
contra modestiam eo procedit audacia, ut vim inferat.

§. XXII.

Effectus edicti Marci est amissio causæ per verba *jus cre-
diti non habebit*. Interpretes autem de re quolibet propria
auctoritate ablata, non de solo credito explicant *Brunnem.
Comment. ad dict. L. pr.* de quo nec dubitandum est, post-
quam Imperatores id confirmant rescripto suo *L. 7. cit. sa-
pius C. unde vi*. Est autem in repetitione rei amissæ vim passo
loco tituli decretum divi Marci, quod in pœnam violentiæ
hoc statuit, ut in conscientia quoque tutus sit debitor, rem
licet vere debitam creditori, ab hoc autem violenter sibi
ablatam; iterum reposcens *Brunnem. cit. L. 13. n. 7.*

§. XXIII.

Dominium non ipso jure amitti verius est, constitutio
enim leg. 7. jubet eum, qui rem occupat, simul & rem re-
stituere & dominium rei amittere, & conjungit adeo hæc
duo in una oratione & persona, quorum primum sicut sine
sententia judicis fieri non potest, sic non poterit alterum
a. L. 4. §. 1. ff. de vulg. & pupill. substi. Unde consequens est, ex-
ceptione demum opposita, sententiam privatoriam ferri,
quam neglectam a parte judex non supplet *Schilt. exerc. II.
§. 18.* ut tuto fidendum non sit Mevio, qui prætermissa
licet exceptione hac novam actionem institui posse,
fere existimat *part. 5. decis. 156.* Inprimis in Saxoniam,
ubi exceptionum litis contestationi non annexarum,
nulla postmodum habetur ratio *Ord. process. Sax. tit.
11. in fin. & tit. 21. §. pen.* Hac sententia, quam præce-
dere debere diximus, priusquam poena infligatur,
obligatio tantum civilis tollitur, non naturalis, quare so-
lutione facta ejus, quod naturaliter debetur, conditio
non

non competit *L. 64. de condict. indebiti. vid. l. 59. in med. pr. ad SC. Treb. & l. 10. de SC. Maced. Conf. Brunnem. ad l. 3. ff. quod quisque juris & c. in f.*

§. XXIV.

Quod si autem Actor vel Reus, dum incerto adhuc jure litigatur, non expectatâ sententiâ definitivâ, litium persâtus vi auferat rem controversiam, quæritur quomodo poena Edicti sit temperanda. Per *L. 4. C. fin. reg. irreptor agrorum*, de quorum finibus controvertebatur, si fuerit in lite superatus, tantum agri modum, quantum adimere tentavit, amittit. Hujus Legis argumentò, si durante Processu rei litigiosæ occupatio ab alterutra parte sit facta, finiendum esse Processum existimem ita, ut si pro occupatore judicatum fuerit in causa principali, ille rei Dominio cadat, si contra, præter rem æstimationem præstet, imo & hoc casu expensas totius Processus, cum temerarie ipsum litigasse jam constet, *L. 79. ff. de Jud. secus priori*, quo Dominus suam rem actione repetens, antequam vim faceret, nihil plane peccavit.

§. XXV.

Seqvitur ulterius, quibus casibus edictum Marci locum non habeat. Supra dictum est, postquam magistratus publice constituti sunt, non esse singulis concedendum, quod per judicem licet, ne quicquam proprio agatur impulsu; verum, cum judicia ita comparata sint, ut quovis tempore & loco eo confugere non liceat, sed copia quandoque judicis non sit, idque vel momentanee vel continue ut Grotius distingvit *Lib. 1. c. 3. §. 2. de J. B. & P.* Momentanee, si in continenti spatium non sit adeundi judicem, tunc ubique privatim sibi jus dicere licebit, e. g. si aufugiente forte debitore, tuum nunquam recuperare, aut

aut difficulter possis, privata occupatio etiam vi conjuncta, vel pignoris captio permiffa erit *L. 10. §. 16. ff. quæ in fraud. cred. Struv. de vindicta Priv. c. 6. aph. 9.* quæ de fure multo magis approbanda veniunt.

§. XXVI.

Cessant autem continue judicia cum quis versatur in locis non occupatis & in quibus nulla est civitas; aut cum subditi non audiunt judicem, aut hic aperte cognitionem rejecerit Grotius *d. l.* Prius exemplum uti non dabitur facile, ita hoc ultimum admittendum plane non est. Neque enim ad id quid fiat, sed quid fieri debeat, respiciendum est *L. 12. ff. d. off. Pras.* & si judex aperte rejiciat cognitionem, adeundus superior per provocationem est, si & hic justitiam non administret, præstat perferre injusta, quam ambulando viam injustam jus sibi reddere conari, omnis enim vis privata in Republica constituta, nisi intra defensionis legitimæ terminos contineatur, regulis societatis civilis prorsus repugnat cædibusque & tumultibus ansam præbet, Christianis prorsus interdicta *Matth. 5. v. 29. seqq.*

§. XXVII.

Non infreqvens tamen in jure est, privatis quoque; arbitrium juris sibi reddendi interdum relinqui. Sic rami & frondes, qui in vicini fundum protenduntur, propria auctoritate cædi, vel fructus inde colligi possunt jure Saxonico, ubi non tam radix, quam rami attenduntur *Landrecht lib. 2. art. 52.* Cum jure civili arbor prope confinium posita, si in vicini fundum radices egerit, communis fiat *§. 31. F. de rer. div.* non pro indiviso, sed prout in hunc vel illum fundum majores radices egerit *L. 8. ff. de acqu. rer. dominio. Hopp. C. ad l. §. 31. v. communis.*

C

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Quicquid in meo prædio fecerit alius, possum propria auctoritate destruere, *Brunnemann ad leg. 2. C. ut nemo privatus in f.* Possessio enim tribuit facultatem suam possessionem propria auctoritate defendendi *Brunnemann Comment. ad leg. 29. ff. de L. Aquilia.* Qua lege itidem continetur, propria auctoritate ab alio in meo fundo factum intercidi posse, secus est, si in suo quis fecerit, licet super meum fundum. *Conf. Struv. de vindict. priv. c. 6. aph. 8.* Ex quo fundamento omnium reliquorum casuum dependet decisio v. g. ædificat quis in suo obscurans lumina mea, nulla hic est potestas mea ad impediendum, sed est omnino, si immittat trabem in meum ædificium.

§. XXIX.

Heres itidem non implorato Judicis auxilio ingredi possessionem rei hereditariæ potest, sed vacuam illam & ab alio non occupatam, *Menochius d. rem. §. 231.* Porro creditor ex pacto cum debitore inito occupare fundum debitoris potest *L. 3. C. de pignor. & hypoth. Colerus de Process. Execut. c. 5. n. 37. seq.* Quo facto nudus saltem ingressus, non etiam possessio & retentio inducitur *L. 3. C. de pignor. Col. de Pr. Ex. p. 3. c. 12. per tot.* Dissidentes obvertunt pactum tale prodesse non posse creditori, nisi retentio & possessio acquiratur, acquirere eandem itaque acquirendi animo ingredientem *L. 3. §. 1. ff. de acqu. poss.* Verum sufficiat creditori de custodia rei sibi hoc modo prospexisse, possessionem enim ipsam non nisi præfidis auctoritate potest adipisci *dict. L. 3. C. de pignor. vid. Colerus de Process. Executivo. d. l.* Porro qui per pactum de ingrediendo eo modo, quo diximus, fundum adeptus, licet postea debitorem in possessione, quam ille recuperare intendit, impediat, tamen pœnam legis nostræ non incurrit, cum ea violentam

tam invasionem requirat, neque teste Fabro Edictum D. Marci alias durum nimium extendendum, nec facile interpretatione sit adjuvandum *in fin. ff. q. met. caus.* Unde Mevio non assentior, qui non obstante hoc pacto legis pœnam obtinere assertit, propter generalem prohibitionem usurpandi propriam privatamque autoritatem *part. 4. decis. 217.*

§. XXX.

Pariter se res habet cum legatario non manu heredis, sed sua, legatum capiente. Si enim heres nondum adierit hereditatem, legatarius restituit arreptam possessionem jure legati salvo manente *L. 1. §. 2. ff. q. legat.* Si vero post aditionem vis facta sit à legatario, privatione legati punitur *L. non est dubium §. C. de legat.* Quæ lex de hereditate jam apprehensa intelligenda est, *Vid. hic Brunnem. Comment. ad dict. L. 1. n. 3.*

§. XXXI.

Licet itaque judici non præjudicet isthæc conventio, tamen præjudicat parti occupationem permittenti, nam pactum illud de ingrediendo, propria autoritate non omnino nullum habere effectum necesse est, *Brunnemann Comment. ff. ad dict. L. 13. n. 10.* hunc certe, ne domino, qui occupationem primò concessit, invito lucrum obtingat.

§. XXXII.

Cum autem pactum de ingrediendo facultatem hanc dare Creditori quoad excusationem pœnæ statutæ diximus, non aliter id intelligendum est, nisi debitor sit in mora, & dies solutionis cesserit. Si enim non cesserit, ordinario remedio experiendum est. *Neguzantius part. 4. n. 15. 16.* putat ob fugæ suspicionem possessionē propria auctoritate occupari posse, argumento ducto a persona, quæ propterea statim capi possit, id vero plus esse quam rem occupare, *Berlich. part. 1. concl. 74. n. 152.* Inquis suspicio fugæ applicari res immobili
C 2 non

non potest, utpote quæ propterea talis dicitur, quod de loco in locum moveri, & nunquam non tutum in ea præsidium sit *L. 18. ff. de in jus voc.* verum & hic periculum est, quod meum ex mora queat, potest enim alius creditor me prævenire & possessionem sibi addicere, mihi que adeo præripere cum commodis possessioni annexis *§. 4. 1. de Interdict.*

§. XXXIII.

Pactum propria auctoritate arrestandi rem vel personam ait quidem valere *Gaius de Arrestis c. 11. n. 24.* Sed nos Colerum potius auctorem sequimur *part. 1. c. 7. n. 12.* Quem admodum enim incarceration personæ mixti est imperii, de quo privatus non participat *L. 38. ff. de pact.* Ita arrestum sine iudice factum omnino nullum est, nec dici arrestum potest. Aliud dicendum fuerit de statuto Vitembergenſi, vi cuius debitor studiosus ipso jure arrestatus censetur, siquidem non solum debito derelinquat Academiam, nec bona creditoris venia discedat; qui ubique locorum sisti potest, per Magistratum, huncque non ut arrestet debitorem, sed ut arrestatum comprehendat, nec nisi relaxato. Arresto a iudice Academico dimittat, implorari necesse est, *vid. leges Acad.*

§. XXXIV.

Locator quoque conductorem finito locationis tempore expellere potest, irrequisito iudice *L. 54. §. 1. ff. locat.* etiam resistentem, dummodo in continenti fiat, *Gomezus resolut. tom. 2. c. 3. de locat. conduct.* Quæ enim ad tempus permissa sunt, post tempus prohibita censentur. *Conf. Colerus part. 1. c. 2. §. 204. seqq.* Multo itaque magis pro pretio locationis conductionis retinere res investas licebit *L. 2. §. 4. ff. in quibus caus. pignus tacite contrahatur Mervius decis. 127. part. 4.* nec viſas quidem & in Museo e. g. conclusas. Quod si enim illæ ab alio conductoris creditore clanculum exportatæ sint & e museo

musco ablata, incio locatore, interverfum quidem huic jus retentionis est, utpote quod possessionem requirit, *L. 1. ff. de pignor.* Quæ solo animo non acquiritur & sine qua illa Romanis legibus indulta manus injectio locum invenire non potest. Sed paratum est remedium ex edicto nostro, cujus pœna afficitur petente ita locatore occupans creditor, efficiturque hoc modo, ut dum alter crediti jure cadit, ipse recuperare per judicem res clanculum exportatas, & exerce-re deinceps Jus retentionis omnino possit, ita responsum haud ita pridem a Facult. Witt. esse compertum mihi est.

§. XXXV.

Quatenus propriæ auctoritati indulgeant leges circa inclusionem animalis, quod fruges in agro meo depavit, vel calcando lasciviendoque damnum dedit, brevibus dispiciendum. Feldmannus *tract. de Jur. Georg. c. 5.* multis id adstruere conatur ex jure civili, sed convelluntur ejusdem rationes ad unum omnes clarissima *Loze 39. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Solis ergo Germanicis moribus introductum hoc juris est, in favorem non solum Domini animalis, sed & Actoris. Illius ut evitare litem, hujus ut consequi æstimationem damni facili probatione possit Schilt. *exerc. 19. §. 5.*

§. XXXVI.

Illud singulare est, quod Jure Saxonico dominus animalis statim atque rescivit damnum datum esse, quamvis alter damni reparationem nondum urgeat, illud dimittere ex custodia sua teneatur, ni velit simpliciter ad damni restitutionem teneri *Carpz. Pr. Crim. qv. 131. n. 20. Jus Sax. Prov. Lib. 2. A. 40.* Præsumitur enim recipiens ex ipso facto obligari vel-
le Schilt. *exerc. ad ff. 19. tb. 5. in fin. Zobel de diff. 1. civ. p. 1. Diff. 8.*

n. 6. § 01. Si læsus recipere animal detrectet, liberatur nihilominus ejusdem dominus, neque tamen integrum ipsi est, illud recipere, nisi velit priorem obligationem, quæ quilibet dominus, pro dumno ab animalidato, tenetur, reviviscere a pr. I. si quadrupes pauperiem fec. dic. Sed judici tanquam res pro derelicto habita cedit, alioquin non cessura, nisi dominus eo se abdicasset, darnnum vero passus repudiasset. Conf. Feltmann de incl. Anim. c. 40.

§. XXXVII.

Non puto post Grotium a quoquam assertum fuisse quod cum non jus meum sed probatio deficiat arg. L. 30. ff. de Test. Tut. adeoque certum sit, juris explementum per judicem obtineri non posse, tunc ad Jus pristinum rediri, & propriæ vi, sine ulla edicti pœna locum relinquere de jur. B. & P. L. 2. C. 7. §. 2. n. 2. Namque aut defecit in probatione actor, aut eam plane non aggressus est. Illo casu absolutus Reus est, nec potest vis injusta contra illum intentari, altero vero haud quaquam certum est, an probatio deficiat, quippe quæ plane nondum est suscepta vid. Schilt. exerc. ad ff. u. th. 17.

§. XXXVIII.

Contra heredem edictum non invenire locum quantumvis dissentiat Schilterus exerc. ad ff. u. th. 19. verius est. Neque enim ipso jure incurrit quis in pœnam hanc, ut supra §. 23. diximus, & omnium imo ipsius Schilteri quoque confessione d. exerc. th. 18. sententiâ privatoriâ opus est, quæ non nisi a publicationis tempore vires exserere potest, Conf. Magn. D. Bergerus in resol. leg. obst. tit. quod legat. Brunnem. ad L. 13. ff. q. met. caus. n. 8. non vero juvat delinquentem, si pœnitentia delicti ducatur ante latam sententiam. Nam uti Reus non

non dici quidem potest in poenam incidisse, antequam sit lata sententia, ita meretur tamen factio suo, qui incidere semper possit. Pœnitentia autem non mutat delictum *L. 65. ff. de Furt.* nec quis propterea teneri desinit, v. *Mev. p. 4. d. 220.* Sed ne justo longiores simus, definimus bono cum Deo, quo cum inceptus hic labor est, cum satis per ea, quæ attulimus, constare possit de usu Edicti D. Marci, cujus certitudinem tot præjudicia confirmant, quorum ex numero duo adhuc rerulisse sufficiat. Ita enim in Consistorio Ecclesiastico Vittembergensi Mens. April. 1700. responsum est, In Sachen Andreen Oehlschlägers und Consorten, contra D. Jacob Wächtern und Consorten/ daß Kläger zuörderst wegen Johann Adam Kölsens und Dorotheen Oehlschlägerin / zu dieser Sache gebührend sich zu legitimiren schuldig / und hat wegen der letztern die angemasse Cautio rati nicht statt / Gestalt auch dessen Principalin ihres Rechts wegen der Kirchen = Stühle auff der Empor = Kirche durch die unternommene eingenmächtige Anmaassung sich verlustig gemacht / und sind sie selbige / dafern sie solche zu lassen nicht gemeinet / von neuen bey der Kirchen zu lösen verbunden. Eundem in modum Scabini Vittembergenses pronunciarunt mens. April. ejusd. anni in Concurf. Sachen Conrad

Möllers.



Corol-

Corollaria

I.

In nuptiis fratrum & sororum contrahendis solus Deus, in pœna autem matrimonii hujus contracti Princeps territorii sine violatione juris naturalis dispensare potest, licet hic tolerare id conjugium nequeat.

II.

Autores Legis §. 1. C. ad L. Ful. Majest. & Leg. 22. C. de pœn. sibi minime adversantur, licet priorem textum per posteriorem sublatum esse cum Wesenb. ad §. 3. n. 5. Inst. de publ. Jud. non tuto asseratur, nec iniqua sanctio in primo textu reperiatur.

III.

Communio primæva rerum omnium fictitia est, nec ex L. 5. ff. de F. & F. robor ullum assumit.

IV.

Rem immobilem in contractum depositi venisse nullibi jure Romano propositum reperitur.

V.

Pœna procurati abortus capitalis uti æstimatur tantum ex tempore post dimidium conceptionis spatium, ut vivus credatur, ita Hippocratis sententiâ partus legitimus natus septimo mense adhuc habetur, atque pro tali agnoscitur.

ULB Halle
001 507 494

3



TA50L







45. 26
1909
1701 19

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
EDICTO DIVI
MARCI,

Qvam
EX DECRETO
Incluti Ordinis Juridici Vitembergensis
PRÆSIDE
DN. GODOREDO SVEVO,
J. U. D. P. P. Curia Provincialis, Scabinatus, nec non
Juridicæ Facultatis Affessore & h. t. DECANO
Pro summis in Utroque jure honoribus
ac Privilegiis Doctoralibus consequendis

In Auditorio majori
Horis ante & pomeridianis
Publicæ ac solenni Disquisitioni
subjicit
JOBUS TIELMANNUS,
Consistorii Eccles. Vitemb. Protonotarius.
Ad diem XX. Octobr. Ao. M D C C I.

VITEMBERGÆ, Typis CHRISTIANI GERDESII.